

ROMANI MAIESTATI CAESARIS

CONSVLENTES

brevi dissertatione

exhibiti,

cum

Die V Maii, qui anno superiore

Inuictissimo Augustissimoque

LEOPOLDO MAGNO,

Cæsari Semper Augusto, Sacratissimo Impe-
ratori, & Optimo Maximo Patriæ Patri, reliqua
vitæ imperique finem,
pariterque

Inuictissimo Augustissimoque

JOSEPHO,

Cæsari Semper Augusto & Sacratissimo

Imperatori, reliqua

Felicissimum imperii auspiciis
attulit,

Quatuor Studiosi iuvenes, ingenio moribusque probati,
toridem orationes Panegyricas
ab hora VII matutina
essent habituri,

A

M. TOBIA ECKHARDO,

Illustr. Quæd., Rector.

QVEDLINBURGI,

Literis IOH. GEORGI SIEVERTI.





arias & fere innumeras, quas orbis olim tulit theatrum, si perlustremus gentes, earumque leges, instituta & res gestas reuocemus ad animam, nulla profecto inter omnes est, quæ rerum gestarum optimarumque constitutionum gloria, splendoreque ac maiestate imperii magis præstiterit, quam principis terrarum Romana. Neque enim fefellit amor Liuium, Augustæ historiæ præstantissimum conditorem, cum scribit, (1) quod nulla vnquam respublica nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis fuerit ditior. Vt nihil de cæteris nunc dicamus, omnes illa tenuit imperii formas, quas sapientissimi quique commendarunt, & ita consilii legibusque firmavit, vt si nullius reipublicæ superessent regnandi imperiique administrandi rationes, Romanæ tamen regulam & exemplum præbere gentibus queat. Siue enim plebis tuenda & conseruanda libertas; siue optimatum auctoritas sapientiæque placeat; siue temperanda & componenda plebis & optimatum potestas; siue potestas regia & vnus imperium probetur; siue principatus & libertas, res aliis gentibus infociabiles visæ, temperamento quodam componendæ, formam rationemque omnium suppeditabit Roma. Atque illud in primis est admirandum, quod, si qua semel probata esset reipublica forma, ita eam composuerint Quirites, ac ordinarint, vt ad firmitudinem summamque perfectionem nihil videantur fecisse reliqui. Cogitemus modo, quando post longam libertatem cuncta nomine Principis sub imperium accepit, quomodo omnia contulerint ad stabiliendum principatum ac vnus imperium, vt & securitati, splendori, auctoritati & maiestati imperantis consulerent, & subiectis obsequium ac venerationem inculcarent. Non dicam de pluribus, quæ ad hoc pertinent argumentum; sed cognomina quædam ac titulos tantummodo afferam, quibus Principes honorare solebant Romuli nepotes. Primum facile atque præcipuum est AVGVSTI cognomen, Cn. Octauio Cæsari diuinis tributum auspiciis, in quod subsequentes imperatores velut adoptione quadam, aut hereditario iure successerunt, & consecrarunt æterni tati. Vt frustra fuerit conatus Ataulphi, Gothorum regis, qui id studuit, vt obliterato Cæsaris Augusti nomine Ataulphus obtineret. (2) Multorum est opinio, ab auctu vrbis imperiique id nominis inditum fuisse Cæsari; sed altius est repetenda origo, & secretior sublimiorque sensus fuit in pectore imponentis de Munatii Planci sententia vniuersi Senatûs Populique Romani. Prodidit eum Florus in fine Epitomes rerum Romanarum, (3) cum tractatum ait in senatu, an quia condidisset Cæsar imperium Romulus vocaretur; sed sanctius & reuerentius visum fuisse AVGVSTI, vt scilicet iam tum, dum coleret terras, ipso nomine ac titulo consecraretur. Eadem tradit Suetonius, (4) pleniusque exponit, & auctoritate Ennii confirmat, quod religiosa loca Augusta dicantur, Idem ante eum Ouidius, (5) eceinit: *Sacra vocant Augusta Patres, Augusta vocantur Tempia sacerdotum rite dicata manu.* Dio Cassius (6) sic voca-

(1.) In Prefat.

(2.) Orofius L. VII. cap. vlt.

(3.) L. IV. c. 12.

(4.) in Augusto c. VII.

(5.) L. I. Fastor.

(6.) L. LIII.

vocatum scribit, quia hominum quasi excederet naturam. Videbant sapientissimi Quirites, vno in Principe iam esse maiestatem, potestatem humana maiorem, Deoque, cuius referret imaginem, proximam, quam sacrosandam haberi, cultuque ac veneratione, instar Numinis alicuius terrestris, affici par esset atque conueniens. Huius officii vt essent memores subiecti, & eminentius nunc sentirent de Principe, maiestate conspicuo, quam cum inter plures, minori cum splendore, esset diffusa maiestas, sanctiori isto nomine monebantur AVGVSTI. (7) Apte conuenienterque a Græcis, quicquid nonnullis videatur, quem Romani dixerunt AVGVSTVM, Σεβαστος, reuerenter habendus ac pie colendus appellatur. Et quamquam noluit Dominus vocari Augustus, iniuriam, si vocaretur, interpretatus; templa tamen & aras sibi viuo fieri passus est, & venerabundum cultum populi approbavit: (8) non certe aliam ob causam, quam vt maiestas fieret conspectior, & sacrosancta haberetur, quam laedere ac violare impietas foret, vltimumque ac grauissimum nefas. Autum deinceps nomen fuit, dictusque SEMPER AVGVSTVS, quod primum, quod sciam, tributum fuit Maximiano Herculeo a Panegyrista, (9) & frequenter apud Symmachum (10) legitur, posteaque in formulam abiit solennem, a Friderico III, vt Boeclerus coniicit, (11) in Germania receptam. Huic cognatum est, cum Principes Romani certis ritibus solennique ceremonia, quam Herodianus edidit, (12) consecrarent, & in deorum collocatos numero DIVOS appellarent. Signa prætulit Augustus, & in deorum collocatos numero DIVOS appellarent, recens Roma, sic Iulium Casarem, qui, vt quondam Romulum, vrbis auctorem, recens Roma, sic Iulium Casarem, conditorem imperii, Deorum numero adscripsit, (13) & quo venerabilis eius effecit nomen, in cuius possessionem venerat, eo sanctiorem sui reddidit maiestatem, eiusque, vt loquitur Plinius, numen induxit. Perduravit ista Divorum appellatio, etiam cum summa imperii ad Principes Christianos iam pervenisset, a superstitione ista consecrationis pagana alienos, siue quod abolere pii Principes haud possent morem, qui inuoluerat, siue quod principatus crederent nomen, nec esset sensus Christiana pietate indignus. (14) Significabant enim, rebus humanis exemptos esse summos imperii moderatores, qui potestatem a sublimiori habuissent fonte, Deo videlicet, quo solo essent minores, quemque in vita plurima dispensando bona essent imitati. Ita Minutius Felix, doctor Christianus antiquus, interpretatur, (15) Diui, iniquis, reges, qui consecrantur, non ad fidem numinis, sed ad honorem emerita potestatis. Eadem mente ac consilio sine dubio DIVOS appellarent nonnullos Principes, cum in viuis adhuc fuerunt. De Augusto Horatius: (16) *Præsentius magis affectu est factum, quam publico aliquo decreto, aut more recepto.* [17] Subsequens ætas voce minus ad adulationem vel superstitionem composita SACRATISSIMOS maluit appellare, qui mos appellandi antiquior est, quam vulgo creditur, & iam seculo tertio exeunte coepit, vt ex Panegyrico Maximiano & Constantiano Augustis dicto licet cognoscamus, & deinceps vsu publico est confirmatus. Singulare est OPTIMI cognomen, [18] quod vnanimus Patrum consensu Nerua Traiano tribuit, ob inusitatam humanitatem ac singularissimam publicæ salutis curam. Et si vero peculiare ac proprium Traiani fuit, in eoque Xiphilino autore, multum est gloriatus imperator, tamen aliis quoque priuatum fuit tributum, & quidem cum augmento, vt Maximi dicerentur. (19) Solebat istis vocibus compelli ri Iupiter, quem optimum dixerunt Romani propter beneficia, Maximum vero propter

(7) Boecler. *ausp. reg. diss.* Acad. p. 20, 182. Summus Polyhistor Schurzstelschius in *diss. longe rarisissima de tit. Augusti*, Beckman *Syste. Dign. illustr.* II, 1. 5. (8) *Djo Lib. LI*, Sueton. in *Aug.* c. 53. 59. Rappolt *Com. in Hor.* p. 832. (9) *Panegyrr.* 5, p. 114. ed. Cyl-larii. (10) *L. X.* ep. XXXII. seqq. (11) *Notit. Imp. L. II.* c. 1. p. 62. Suederus *lus Publ. P. spec. scil. l. c. 1. §. 5.* (12) *L. IV.* n. 3. f. (13) Sueton. in *Iul.* c. 88. (14) Polyb. *Cellarius Progr.* XXXV. (15) p. 215. ed. Lugd. 1672. (16) *L. III.* od. 5. (17) Beckm. *System. Dign. I. IV.* 5. 6. de *Vicar. Principum* c. II. §. 14. Rappolt *Com. in Hor.* p. 1023. Rupertus *ad Val. Max. L. I.* c. 1. *diss.* 2. Kirchman. *de Fun. Rom. L. IV.* c. 13. (18) Plinius *Panegyrr.* c. 88.

FK II, 1285

X 3420779

ter vim ac potentiam, (20.) recte ordineque facturi, si vērō ac præpotenti Deo cognomina ista tribuissent, cui iure, iniusto possessori erepta, vindicantur. (21) Principes vero isdem nominibus appellarunt, quod Deo proximos, vel Deos quasi putarent, quomodo Virgilius Augustum, & Plinius Traianum suum appellat Deum, maiori certe iure, quam defunctum Neruam ceremoniis consecratum. Viui enim Reges ac Principes, maiestate fulgentes, terrestres sunt Dii, quo nomine ipsum eos dignatur summum ac præpotens Numen, cuius illi in terris legati sunt ac vices gerunt. (22.) Quid um saluti prouident publicæ, ac curant, ut quæcunque chara sunt, salua & incolumia subiecti habeant, Optimi, & dum vindicant scelera puniuntque refractarios Maximi, ad sui Præsidis summi rationem, saluo tamen discrimine, non immerito vocantur. Vnde in ciuium animis honor cultusque nascantur oportet; atque hinc repetendum est amabile illud cognomen, amoris reuerentiæque fomentum, quod statim inter initia principatus suis Romani Principibus tribuerunt, PATRIÆ PATRIS. Omnium primus id meruit Cicero, (23) postquam Catilinæ coniurationem sua detexisset prudentia, fortissimoque consilio deleuisset. Postea tributum est Iulio, Augusto, (24) cæterisque successoribus, nec tamen cunctis, ea mente, quod imperatores, paterna indulgentia beneficiisque subiectos fouerent ac detenderent, et vicissim ciues eos tanquam parentes amarent, colerent ac venerentur, quam nominis vim Dio explanat. Hæc fere sunt cognomina, saltem præcipua, quæ profundior Romanorum prudentia suis indidit Principibus, ut illorum consuleret auctor tati, maiestati ac sanctitati. Crastino die annus est, quo rebus humanis exemptus fuit LEOPOLDVS. M Imperator Augustus, Diuus, aut si maus Sacratissimus, Optimus Maximus, Patriæ Pater, & felicissimis auspiciis capessiuit imperium JOSEPHVS. Natales Principum suorum festos Romani habebant, & singulari celebrabant religione, ut et gratias agerent Numini pro illorum incolumitate, & vota nuncuparent in futurum, Verum nec illi sunt trans mittendi dies, quibus vel concessere fatis, ut ne ingrati videantur ciues, & ingentium bonorum, quæ viui dispensarunt immemores, vel successores potiti sunt imperio, ut optata auspicia exorentur. Est in coetu alumnorum Gymnasii iuuenis, animi liberalis atque ingenui, Viri rerum ciuilium vsu spectatissimi, IO. MARTINVS Widmanshausen / Halberstadensis, qui pro studio, quo fertur ad dicendi exertationem & polciorem ac ciuilem prouidentiam singulari efflagitauit, ut in deuotissima pietatis officio vires ingenii liceret periclitari. Quod autem ipso exequiarum die per valetudinem prestare non licuit, id crastino die tribus adiuuctis sibi sociis, ingenio doctrinaque ac virtutis amore pariter præstantibus, perficere destinauit. Dedimus veniam, probe licet gnari, longe infra maiestatem laudum tantorum AVGVSTORVM dicentium esse orationem; verum vna expendentis, quod nullius tanta dicendi vis sit atque copiavt plene illas dicendo æsequatur, quodque magis pura & deuota mens, quam meditatæ preces, Deo proberur. Ita vero distributauit opera, ut ordine non observato primus IO. HENRICVS Riß, ppd / Beidendorffia Saxo, Augustum genus Austriacum; secundus GEORGIVS CHRISTOPHORVS RHENIVS, Mansfeldensis, Virtutes; tertius IO. AVGVSTVS Gottschälck / Blanckenburgen. *Brus. res gestas LEOPOLDI Magni*, Latino quisque sermone soluto exponant; quartus IO. MARTINVS Widmanshausen, *Notitiam* subiungat acclamationem ad IOSEPHVM, Imperatorem Augustum, ac Benignissimum Patriæ Patrem. Destinata huic panegyri est dies III. Non. Maii, ab hora VII matutina, cui ut Quædam Senatus Populusque eruditus benigne interesse, & ad Aedem Musarum conuenire suaque vota nostratibus coniungere ne grauentur, per pietatem, qua vtrique Augusto obstricti sunt, oroac contendo, P. P. Quid, d III Non. Maii clj h cc VI.

(20) Cicero *pro Domo n. 144.* [21] Feltman *de tit. honor. L. 1. c. 31, §. 14.* (22) Boeler *de Ansp. 173. f. Ansp.* Reinhartus *ad Praef. Lips. Polit. §. 6, p. 5.* [23] *Orat. in. Pisonem 6. Appian, Cell. ciui (24.) Sueton, in Jul. c. 67, in Aug. c. 58.*

mc

FK 127
6

HC
1285

ROMANI MAIESTATI CAESARIS

CONSVLENTES
breui differtatione
exhibiti,
cum

Die V Maii, qui anno superiore

uictissimo Augustissimoque

POPOLDO MAGNO,

Imper Augusto, Sacratissimo Impe-
ri, & Optimo Maximo Patriæ Patri, reliqua
vitæ imperiique finem,
pariterque

uictissimo Augustissimoque

JOSEPHO,

Semper Augusto & Sacratissimo

Imperatori, reliqua
Felicitissimum imperii auspiciis
atruit,
r Studioi iuuenes, ingenio moribusque probati,
totidem orationes Panegyricas
ab hora VII matutina
essent habituri,

TOBIA ECKHARDO,

Illustr. Quæd, Rectore.

QVEDLINBURGI,
Literis IOH. GEORGI SIEVERTI.

